Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2863
Quelle:
Copyright:

potiſſimae partes ſunt ſequentes: *Ordo feria. IIII. XLmae.* cui inſerta eſt Confeſſionis et Reconciliationis Poenitentium Formula. *fol. 7. Ordo uel Denunciatio Scrutinii ad electos. quod. III. ebdomada. in XL. II. feria iniciatur.* Scrutinium iſtud Catechumenorum examen eſt. f. 10. Cerimoniae *Hebdomadae majoris.* f. 15. *De letania maiore et minore.* f. 33. Notandum hic geminum Litaniarum diſtichis incluſarum ſpecimen, quorum primum incipit:

Summus. et omnipotens genitor. qui cuncta creaſti
Aeternus chriſtus filius atque deus &c.

Habetur hoc in *Henr. Caniſii Lect. Antiq.* T. V. P. 2. p. 734. et in edit. earund. *Jac. Baſnagii* T. II. P. 3. p. 192. inſcriptum: *Hartmanni Monachi S. Galli Litaniæ ad proceſſionem diebus dominicis*, hac tamen praeter alia minoris momenti differentia, quod pro *Galle dei ſummi* et *Sancte Othmare pater* noſter legat *Theodole* (Theodore?) *ſummi* et *Sancte Albane pater*, unde videtur olim in uſus *Monaſterii Moguntini ad S. Albanum* conſcriptus fuiſſe, quae opinio inde etiam convaleſcit, quod in altero *Litaniarum* ſpecimine ſola haec verba: *Sancte Albane intercede*, literis quadratis exarata ſint. Deeſt praeterea priori ſpecimini in impreſſis ultimum hoc diſtichon:

Kyrie pantocrator yſos ſodiſſe te pantos
Subbaleos ymon criſte eleyſon ymas.

Alterum Specimen comparet in *H. Caniſii Lect. Antiq.* T. V. P. 2. p. 742. *edit. Baſnag.* T. II. P. 3. p. 199. ſub titulo: *Litania Ratperti ad proceſſionem diebus Dominicis*, et incipit:

Ardua ſpes mundi ſolidator et inclite cęli.
Chriſte exaudi nos propitius famulos &c.

Atque hic praeter alia leviora Codex noſter poſt Diſtichon VIII. ſequens:

O Martine dei confeſſor ſummeque ſacerdos
Gemma ſacerdotum. auxilium fer ymon.

Et poſt Diſt. XII. ſequens inſerit:

His uualburga comes. noſtras pia ſuſcipe uoces.
Nos et cum domino protege ſancta polo.

Ver-